

curatores deffenderunt predictos vassallos ab omnibus impudentibus ipsos in predicta libertate . . . ipsos vassallos continue uti predicta libertate sine alicuius contradictione. Interrogatus de loco et de tempore dixit quod in precedente articulo. § Item interrogatus super undecimo articulo *etc.* in causa scientie dixit quod vidit et quod audivit quoniam domini Curie Montis viridis et eorum officiales pro parte et nomine Curie dederunt decimas Episcopo Ecclesie et clericorum Montis viridis et quoniam procuratores pro parte et nomine dictae ecclesie receperunt ipsas decimas ab officialibus et procuratoribus supradictis. Interrogatus de loco dixit quod fuit in Civitate Montis viridis et Ecclesia Maiori. Interrogatus de tempore dixit quod sunt viginti tres, viginti duo et viginti unus anni. § Item Interrogatus super duodecimo articulo *etc.* in causa scientie dixit quod vidit audivit et interfuit quoniam Episcopus Matheus predictus . . . pro ipsis decimis habendis et comperto per inquisitionem quod ipsi et sui predecessores consueverant ipsas decimas de baiulatione demanio recipere et habere de Mandato Curie per officiales ipsius Curie fuerunt predicto Episcopo et clericis decime assignate et tradite et ipse Episcopus et clerici receperunt easdem. Interrogatus de loco dixit quod fuit in Civitate Montis viridis in Ecclesia Maiori. Interrogatus de tempore dixit quod sunt viginti tres, viginti duo, viginti unus anni. § Item interrogatus super terciodecimo articulo *etc.* in causa scientie dixit quod vidit audivit et interfuit quoniam officiales Curie apportaverunt dictas decimas ad Ecclesiam Maiorem et Episcopum et clericum receperunt eas in manibus eorum et eas inter se diviserunt. Interrogatus de loco dixit quod fuit in predicta Maiori Ecclesia. Interrogatus de tempore dixit ut supra. § Item Interrogatus super quartodecimo articulo *etc.* in causa scientie dixit quod recordatur a quinquagintis annis . . . de tempore cuius memoria non extat et sic descendendo usque ad diem obitus clare